

eiusdem ecclesiae vicarius et alii fide digni. Actum et datum Mysnae anno domini M°.CC°.XC°.VI°. XV°. Kal. Junii pontificatus venerabilis patris domini **Bernhardi** Mysnensis episcopi praedicti anno tertio.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den wohl erhaltenen Siegeln des Bischofs, des Capitels und des Canonicus Conrad v. Boruz (h. Andreas) an Pergamentstreifen.

No. 26. 1302. (12. Mai.)

*B. Bruno zu Naumburg überlässt mit Zustimmung seines Capitels dem Hospital zu Meissen die von diesem erkaufte Geld- und Haferzinsen in Gröbern bei Meissen.*

In nomine domini amen. Bruno dei gratia Nuenburgensis ecclesiae episcopus — ad notitiam tam praesentium quam futurorum cupimus pervenire, quod nos duodecim solidos denariorum minus obulo et duos modios avenae Haynensis mensurae, quos solidos cum avena dominus Johannes de Herstein miles tenens a nobis et ecclesia nostra<sup>1)</sup> iusto titulo feudali de allodio hospitalis civitatis Misnensis fundato et instaurato de decima reddituum praebendarum canonicorum Misnensis ecclesiae sito in villa Grobere annis singulis recipere consuevit, quos inquam denarios cum avena honorabiles viri .. praepositus et .. decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum erga praedictum militem pro sex marcis argenti iusto emptionis et venditionis interveniente titulo compararunt. Recepta itaque ipsius Johannis militis<sup>2)</sup> pro se et suis heredibus resignatione voluntaria atque libera, per suas patentes litteras non cancellatas, non abolutas nec in aliqua sui parte vitiatas resignans nihilominus nobis et ecclesiae nostrae<sup>3)</sup> in eisdem litteris quidquid iuris praeter dictos denarios cum avena habuisse dinoscitur, utpote iudicium in allodio supradicto, praedictos siquidem denarios<sup>4)</sup> cum avena et iudicio nobis et ecclesiae nostrae<sup>3)</sup> ut praemittitur sic vacantes devotis inclinati precibus .. praepositi .. decani et capituli supradictorum, necnon ob animae nostrae remedium ecclesiae Misnensi ad ordinandum commodum et utilitatem praefati hospitalis damus tradimus et donamus, accedente consensu et voluntate unanimi totius ecclesiae nostrae capituli iure et<sup>5)</sup> titulo proprietatis perpetuo possidendos. In cuius rei testimonium praesentes litteras praelibatae Misnensi ecclesiae dedimus nostri sigilli munimine roboratas<sup>6)</sup>. Nos quoque Bruno dei gratia praepositus, Kvnemundus decanus totumque praedictae Nuenburgensis ecclesiae capitulum ad exprimendum nostrum consensum voluntarium praedictae donationi liberaliter accessisse sigillum capituli nostri similiter apponi fecimus huic cartae. Actum et datum Cyce anno dom. millesimo trecentesimo secundo praesentibus et in testimonium advocatis honorabilibus viris Heinrico praeposito, Conrado decano, Petro scriptore decano saepedictae Misnensis ecclesiae, Hermanno de Amlungesdorph, Johanne de Gozerstete notario nostro, canonicis ecclesiae Cycensis, magistro Alberto de Storekowe notario nostro, Arnoldo

1) et ecclesia nostra fehlt in B. 2) Recepta siquidem ipsius militis B. 3) et ecclesiae nostrae fehlt in B. 4) praedictos itaque solidos B. 5) cedente consensu — iure et fehlt in B. 6) praesentem litteram — roboratam B.